

res Talmudistæ, & qui eos præcesserunt Numeratores. Discrimen vero leve est, & non nisi in Decalogo & canticis commissum, ubi recentiores inæquales versus reliquis æquales reddere voluerunt, quod in Decalogo evidenter ex duplici accentuum ordine constat.

§. IX.

5) Ulterius Masoræ nostræ quædam a Judæis addita sunt, ex Commentario Raschii deprompta. v. g. 2. Reg. V. v. 20. in Masora parva legimus: חסר אֵלֶף כַּפְרָשִׁי h. e. *Deficit Aleph secundum Commentarium Raschii.* Quæstio est de verbis Gehasi, qui dixit: *Vivat Dominus, ego sequar eum,* (Naamanem) & *capiam ab ipso* מִמֶּנּוּ *aliquid.* Sic legunt Biblia Anglic. Bomberg. in fol. 1517. & in 4to 304. h. e. Christi 1544. typis vulgata, & alia plura. Vulgat. vertit: *Accipiam ab eo aliquid.* LXX. καὶ ληψομαι ἀπ' αὐτοῦ τι. Sic quoque Chald. Sed Raschius peculiare quid vidit, scribens ad h. l. חסר אֵלֶף מוֹמָה. *Deficit Aleph & legendum est מוֹמָה macula, quia illa acceptione sibi accersivit maculam (lepram) quasi Gehasi dixisset, ego accipiam ab ipso maculam.* Sed quis tam obesæ naris, ut non sentiat Raschii ineptias, qui præter sensum supra datum illa scriptio-
ne, aliquem mysticum quærit. Hinc tamen factum est, ut in Buxtorf. aliisque Masorethicis codicibus legatur מוֹמָה *macula*, cum in aliis multo rectius juxta fidem MSSst. substitua-
tur מוֹמָה *quicquam.* Hæc est hodiernæ Masoræ facies, antiquæ traditiones commixtæ sunt cum recentiorum com-
mentis, quæ non discernimus, nisi antiquarum versionum, & collatorum MSSstorum subsidio. 6) Tandem neque Ju-
dæi ipsi tanti æstimant Masorethicas annotationes, ut eas ubique sequantur. Possidet nostra Bibliotheca Academica MSSst codicem Hebræum, cujus autor omnes difficiliores voces gallice vertit, & loco parallelo & quandoque brevi commentario illustrat, quem Fellerus catalogo MSSstorum
p. 215.